



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MULTIMODIS SOLEMUS** ECCLESIA BEATAE MARIAE  
VIRGINI DICATA, QUAE VERNACULO SERMONE  
«NUESTRA SEÑORA DEL REFUGIO» VOCATUR, IN DIOECESI CIVITATIS  
VICTORIENSIS SITA, TITULO ET DIGNITATE BASILICAE MINORIS HONESTATUR Ad perpetuam rei memoriam. –  
Multimodis solemus Nos dilectionem significare, qua ab ineunte pueritia Beatissimam Virginem Mariam prosequimur,  
Matrem Nostram dulcissimam et Patronam, cuius benevolentiam non raro sumus experti, et manifeste quidem. Non  
minus autem curamus ut Christi fideles eam discant ardenter amare, colere, eique in omnibus suis tum corporis, tum  
praesertim animi necessitatibus fidere. Peculiarem vero hos census excitandi rationem putamus aliquo externo  
testimonio exprimere eiusmodi pietatem, qualibus, praeter alia, vel templi dedicatione, vel eiusdem aucto honore et  
dignitate. Hinc, si quando a Nobis postulatur ut ecclesia aliqua, Deiparae Sanctissimae sacra, populi concursu insignis  
atque ad Christianorum vitam stabiliendam non parum conferens, titulo honestetur Basilicae Minoris, propense precibus  
concedimus. Qua re, cum Venerabilis Frater Raimundus López Mateos, Episcopus Civitatis Victoriensis, litteris die XIII  
mensis Iulii anno MCMLXXXVIII datis, suum expromens votum simulque cleri et catholicorum, petiisset ut ecclesia  
Beatae Mariae Virgini dicata, quae vernaculo sermone «Nuestra Señora del Refugio» vocatur, in dioecesi Civitatis  
Victoriensis sita, ad gradum eveheretur Basilicae Minoris, Nos, scientes eam momento historico eminere, operibus  
religiosis et pastoralibus et locum principem esse cultus Civitatis Tamaulipas quondamque et sedem Cathedralem fuisse,  
consulta probantes Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, postulationem admisisimus. Quocirca  
nuper memoratam ecclesiam titulo et dignitate exornamus Basilicae Minoris, omnibus cum iuribus et privilegiis rite  
competentibus, iis tamen servatis, quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno  
MCMLXXXVIII editum, servari iubet. Rebus contrariis minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo  
Piseatoris, die XXIV mensis Augusti, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a  
publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

---